

PRAEFATIO ED. II.

perfectio, cuius ratio malum, quatenus absolute necessarium est, metaphysicum non male dicitur.

§. 389. dixeram, si hic mundus sit substantia, quia tunc extra infinitam substantiam eum existere debere, iam probatum erat, *infinitam substantiam non esse unicam*. Id, quid sibi velit, fatetur V. C. se non intelligere, ratus nacuum subesse hypotheticum. Verum nihil hic est erroris, nec mei, nec chalcographi, §. 388 - 391. refuto Spinozismum metaphysicum asserentem, substantiam infinitam s. deum esse unicam substantiam. Huic enunciato oppono §. 389: *substantia infinita non est unica* sc. substantia, sicut dicere solemus, solem nostri systematis planetarii non esse unicum, sc. solem, regem galliarum non esse unicum, sc. regem, §. 390. clarissimis verbis ita finitur: *substantia infinita non est substantia unica*. §. 391. ita incipit: *vis infinita non est unica vis*. Quanquam inde me satis perspicue loquutum omnibus arbitror, qui non raptim in unicam lineam oculos coniiciunt: nihilo tamen minus adieci nunc in hac editione §. 389. etiam vocabulum *substantiae*. Quando ad mundi pneumatici denominationem adieci in parenthesi, *regnum gratiae*, V. C. me monet mundum pneumaticum